

Q. F. F. Q. S.

De

DICTIONIS TRA-  
LATITIAE  
USU,

DISPUTATIO

*Quam*

Consensu Amplissimi Ienatus Philoso-  
phici in Regio ad Auram Lycèo

PRÆSIDE

*Viro Clarissimo*

DN. M. CHRISTIerno

A L A N D R O,

Eloqv: Prof: Ordin:

SPECIMINIS LOCO

*Candidis rerum censoribus examinandam  
modeste proponet*

JOHANNES SALMENIUS,

*Ad diem 23. Octobr. Anni 1697. in Auditorio  
Max: horis ante meridiem solitis.*

---

Impr. apud Jo. WALLIUM.

*Reverendissimo in CHRISTO*  
*Patri ac Domino,*

**DN: JOHANNI**  
**GEZELIO,**

**S. S. Theologiæ DOCTORI**  
**Famigeratissimo,**

**Dicæcesios Aboënsis EPISCOPO**  
**longe Gravissimo,**

**Nec non**

**Regiæ Academiæ**  
**PRO-CANCELLARIO**

**Amplissimo,**

**Synedrii Ecclesiæ PRÆSIDI**  
**Eminentissimo,**

**Mæcenari & Promotori Maximo,**  
**quovis promptissimi obsequii**  
**cultu submisse & reve-**  
**renter suspiciendo**

**PERENNEM FELICITATEM!**



on eorum adeo pe-  
nes quos factorum  
meorum est arbitri-  
um, persuasione &  
auctoritate inductus sum, ut  
pagellas has, primitias ingenii  
mei, quas in lucem prodire  
permitto, REVERENDISSIMÆ VE-  
STRÆ PATERNITATI humilime con-  
secrarem offerremque; sed vir-  
tus atque Doctrina, amplissi-  
maque in rem literariam meri-  
ta quæ REVERENDISS: VESTRAM  
PATERNITATEM, in summum for-  
tunæ apicem evexere, hoc e-  
xigere vidébantur; Musas e-  
nim earumque cultores variis  
expositos novercantis Fortunæ  
telis sublevare, pallioque be-  
nevolentia obtegere VESTRÆ  
REVERENDISSIMÆ PATERNITATI SOA  
len-

lennis mos est. Cujus rei do-  
cumenta quemadmodum prore-  
sus magna atque nunquam sa-  
tis decantanda extant; ita Mu-  
læ meæ, benevolentia illa ere-  
ctæ, ad REVERENDISS: VESTRAM  
PATERNITATEM, tanquam ad Sa-  
cram anchoram humillimè con-  
fugiunt, certissimum sperantes  
refrigerium: voventes insuper  
ut sanctissimum Numen Tan-  
to Mæcenati largiri dignetur  
tranquillam canitiem, canam  
felicitatem, felicemque tran-  
quillitatem!! ceu vovet.

REVERENDISS: VESTRÆ PATERNITATIS

*Humilimus Client*

Joh. Salmenius.

VIRIS

*Nobilissimo Consultissimoqve*

DN. JOHAN. WALLENSTEEN,

Territorii Pijkenfis atque Halikoën-  
fis Judici æqvissimo, Mæcenati & A-  
vunculo optimo.

*Plurimum Reverendo atque Clarissimo*

DN. M. CHRIST. WALSTENIO,

Pastori in Wehmo & Localar meri-  
tissimo Territorii ejusdem Præposito  
gravissimo, Avunculo propensissimo.

*Plurimum Reverendo Clarissimoqve*

DN. M. HAQVINO PIJLMAN,

Pastori Ecclesiarum Wirmoënsium  
vigilantissimo ut & Præposito ad-  
jacentis Districtus Adcuratissimo,  
Parenti Carissimo.

*Patronis, Promotoribus atqve Evergetis  
filiali cultu & obsequio nunquam  
non colendis,*

SALUTEM ET FELICIA FATA!

**F**avorem Tuum Nobilissime Dn:  
Avuncule in me singularem dum  
mecum reputo, quâ potissimum  
ratione vel aliquâ saltem ex par-  
te demereri possim sedet animo; factumque  
inde est ut hunc ingenii mei factum licet im-  
maturum minusque politum Nobilissimo  
Tuo Nomini inscriberem, certus Te eun-  
dem benevolentia illâ, quâ auctorem semper  
prosecutus es, complexurum. Vobis etiam,  
Plurim: Reverendi Dn. Præpositi, siue  
magnitudinem beneficiorum in me collatorum,  
siue informationem spectâvero, devinctissi-  
mum me videns, dum Vobis omnia mea de-  
beo, chartaceum hoc munus etiamsi levidens  
in grati humilimique animi tesseram offero;  
cum voto calidissimo, sereno illud vultu ut  
suscipiatis, Vestrasque semper actiones fa-  
vor cœlestis felici successu prosperet secundet  
atque fecundet.

Vester

Nobiliss: Pl: Rever: Domini,

Devotissimus cultor  
atque Filius

Johan: Salmenius,  
Auct: & Resp.



IN NOMINE JESU

**Q**uemadmodum ad splendidum constituendum ædificium non ea solummodo faciunt, quæ necessitatis sunt, sed insuper possessori incumbit, structos artificiose parietes variis ornamentis decorare, & ne vasa coquinaria, in cœnaculo vel triclinio, neve picturæ & tapetes in culina, sed ut omnia decenter suis collocentur locis curam agere; ita ad Oratoris sermonem gratum reddendum auditoribus, non tantum requiritur sermonis puritas, quam præstat Gramma-  
A tica

tica; sed & ea eligi debent, quæ pi-  
 cturarum adinstar animos percel-  
 lunt, atque orationi pondus quasi  
 addunt, quod facit Rhetor, per-  
 spicuitati splendorem, in verbis  
 sententiisq; consistentem super-  
 addens. Hanc de orationis pi-  
 cturis, siue illis verborum lumi-  
 nibus, quæ Rhetores Tropos vo-  
 cant materiam elegi, eamque sim-  
 pliciter pro modulo ingenii ex-  
 pensam loco speciminis luci pu-  
 blicæ dedi. Si quæ cruda & mi-  
 nus cocta irreplerint, est quod  
 candoris atque benignitatis pallio  
 tegat, Benevolus rerum Censor  
 quod etiam officiose, enixeque  
 peto & efflagito.



## §. I.

**P**rudenti sane consilio, & instituto  
 satis proficuo, non ipso opere minus  
 quam verbis admonent temporum  
 eruditi, *in omnis scibilis investigatione no-*  
*minis enodationem primum adgrediendam*  
*esse; ea quippe viam pandit in reliquo-*  
*rum, τῆν πραγμάτων λόγιαν* spectantium fa-  
 ciliorem indagacionem perceptionem-  
 que: quin imo in profunda quasi versa-  
 mur sylvæ, ubi rerum nomina signifi-  
 cationesque haud satis perspectas habe-  
 mus. Res enim ipsæ vocibus, ceu ve-  
 ste involutæ denudantur plane hac ra-  
 tione, ut intellectui velut ad oculum,  
 pateant essentiæ; quod verum esse du-  
 dum suo etiam calculo comprobavit  
 Philosophorum Phœnix Aristoteles,  
 dum in hæc, gravitatem plane spiran-  
 tia verba prorupit: *δεῖ γὰρ ἡμᾶς ἀκριβο-*  
*λογεῖσθαι, καὶ μὴ ἐκ παρόδε τὰς λόγους ἀποδέ-*  
*χεσθαι* h. e. oportet nos accurate confide-  
 rare sententias, & non sine exacta discuf-  
 sione probare. Mihi itaq; indolem dicti-  
 onis translatae sive tropicæ indagaturo

4  
necessario præmittenda videtur ὀνομα-  
τολογία, ut, ea percepta, quid potissi-  
mum hisce pagellis vener, innotescat.

§. II.

Natales itaque Tropi, quod atti-  
net neminem qui vel à limine Musas  
salutaverat, latere potest, deductum  
esse vocabulum Tropi à verbo τρέπειν,  
vertere, convertere, quod etiam pro  
ut varie componitur, ita & varias in-  
ducit significaciones. Denotat enim  
τρόπος quâ homonymiam, vel verbo-  
rum immutationem, seu deflexionem  
à communi usu quam nos hic ample-  
ctimur. Vel consuetudinem & ritum,  
ut Xen: κατὰ τὸν ἑλληνικὸν τρόπον, & addi-  
to generivo ἐν τρόπῳ βοσκῆματ. & more seu  
instar pecudis: item ingenium & indo-  
lem, ut Tuc: lib. 8. διάφοροι πλείστον ὄντες  
τὸν τρόπον. h. e. ingenio & moribus dif-  
similes. Institutum denique, Studium  
& voluntatem, ut apud Plutarch: Qua  
synonymiam dicuntur Hermogeni  
λέξεις πετραμμέναι. Lucret: lib: 1. Per-  
ver;

5
 verba inverfa. Cicer: immutationes  
 & verba inflexa ac modificata; Arist.  
*μεταφοραί*; Horat: detorta; Fabio ar-  
 ceflira, quibus opponuntur propria,  
 quæ & recta vocantur. Cic: in Brut:  
 de commentar: *Cesar: atque etiam*  
*Commentarios quosdam feripfit rerum*  
*fuarum, valde quidem probandos, nu-*  
*di enim sunt, recti & venusti, omni*  
*ornatu orationis tanquam veste detra-*  
*cta.*

### §. III.

Breviter sic pro re nata ipsa defi-  
 nitione nominali, seu *ὀνοματολογία* in-  
 vestigata, ut ad Def: realem seu *πραγ-*  
*ματολογία* transitum faciam consultum  
 est. Definit itaque Tropum Vossius  
*quod sit vocis à propria significatione in ali-*  
*enam cum virtute immutatio*, secutus  
 procul dubio Fabium, qui lib: 8. di-  
 cit Tropum esse verbi vel sermonis  
*à propria significatione in alienam,*  
*cum virtute immutationem.* Item lib:

9. c. 1. vel: 1: 8: c. 7. ubi ait: transfer-  
 tur nomen aut verbum ex eo loco in quo  
 proprium est in eum quo aut propri-  
 um deest aut translatum proprio me-  
 lius est. Definitor quod fit *dictio ab eo  
 loco, in quo propria est, translata in eum  
 in quo propria non est.* hæc sicut verbo-  
 rum sono à priori differt, ita sensu fa-  
 cile consentit idemque importat. Ge-  
 nus est immutatio, per quam intel-  
 lectam voluere Rhetores, non quam-  
 libet variationem, μεταβροφωσιν aut  
 mutationem, sed ipsam significationis  
 verborum inversionem, idque propter  
 mutuam rerum affectionem seu re-  
 lationem. Post lapsum quippe pri-  
 morum parentum, ex quo, ceu ex eqvo  
 Trojano omnis nostra calamitas cum  
 impetu quasi & vehementia erupit,  
 tantam in ipso sermonis promptuario  
 egestatem quotidie experimur, ut ad  
 exprimenda animi nostri sensa defici-  
 entibus vocabulis propriis, circumlo-  
 cutionibus variis ac tralatitiis loquendi  
 mo-

7  
modis uti necessū habeamus, de quo con-  
questos sæpe videmus viros haud perfun-  
ctorie eruditos; ut Senecam Ep. 59. lib. 8.  
*Quanta inquit, verborum nobis paupertas,  
imo egestas sit, nunquam magis quam ho-  
dierno die intellexi.* Item Plinius & Lu-  
cret: inopiam & egestatem patrii ser-  
monis tantum non lamentantur: quam  
penuriam quamvis mutationis hujus  
causam dicamus, eo tamen ipso, non ne-  
gamus ipsam utilitatem & jucundita-  
tem multum huc conferre, de quibus  
infra dicemus.

§. IV.

Quamvis non raro etiam figura-  
rum nomine veniant Tropi, adeo ut  
quicquid immutatum sit, dicatur figu-  
ratum, rem tamen altiori mentis inda-  
gine pensitanti, non exigua se offert diffe-  
rentia. Tropi enim ipsum verborum  
sensum tangunt dum propria eorū signi-  
ficatio in aliam cognatam contrariam-  
ve convertitur, quod & ipsius tropi ety-

mon haud obscure testatur. Figuræ autem quæ Schemata i. e. orationis habitus dicuntur, sensum vocum per se non immutant variantque; licet enim non tralatitia minus quam propria adhibeantur verba, ut oratio pro rerum de quibus agitur, diversitate, schematibus diversis, tanquam colorato amictu vestiatur, ac quasi gestibus diversis animetur, id tamen non ex vi schematis est, sed tropi, atque eadem præterquam quod tropica sunt, alium tamen ad orationem respectum habent, quem sibi jure meritoque vendicat figura, unde quivis facile videre potest, Schemata alium à Tropis longe diversum ornatum conferre sermoni. Nam ubi tropi semper ipsam invertunt ac permutant significationem, schemata propriis contenta verbis, colorato quasi habitu orationem ornant. Discriminantur præterea per vocum & dictionum pluralitatem, quam nequaquam admittit tropus. Figura vero necessario re-

qui-

quirit. Hanc sententiam impugnare adlaborant nonnulli Metonymiam in integra prædicatione consistere probaturi, præprimis Job: Piscator, Tropum non modo in singulis, sed etiam conjunctis vocibus, adeoque tota phrasi collocans. Hic *ἀντιφράσις* nobis obiicit, quod non in uno vocabulo sed continuatis fiat verbis. Ad quod argumentum responderi potest dicendo: allegoriam non esse simplicem tropum, sed continuatum, ideoque Tropi affectionem, non vero peculiarem ejusdem speciem dicendam esse, plures ipsorum objectiones, brevitati litantes, recensere hic super sedemus, Benevolum Lectorem officiose ad Meisn: Phil: Sob. remittentes.

### §. V.

Quemadmodum artes omnes non ex casu, sed pleræque propter necessarios usus, quibus carere non potuit homo, primitus inventæ sunt, ita trala-

titium hunc loqvendi modum initio  
 necessitas qværare coëgit, dum scilicet  
 vocabula propria rebus omnibus in to-  
 to hoc universo existentibus non sup-  
 petebant. Hinc eo perducta res est, ut,  
 cum alia amplificanda atqve exagge-  
 randa, alia ê contra coarctanda sint,  
 vel alio qvopiam modo intendenda &  
 remittenda cogente sic necessitate, &  
 vocum propriarum inopiâ, ex vicinia  
 qværenda alia vocabula, sermonique  
 adspargendi Tropi qvi instar condi-  
 menti alicujus maximè necessarii, ora-  
 tionem insullam quasi, & ob defectum,  
 mancâ mutilamque restituerent at-  
 que sublevarent. Nam ad obtinendum  
 Rhetoricæ finem, qvi est copiose or-  
 nateqve dicendo persuadere, nemo sat  
 instructus est, nisi qvi tenet rationem  
 & methodum, tum ea inveniendi, qvi-  
 bus rem ad dicendum propositam vel  
 confirmet, vel rejiciat: tum qvæ inven-  
 ta sunt, ordine convenienti & ad victo-  
 riâ expedito collocandi: tum denique ea  
 ipsa



ipsa quæ reperta & disposita sunt jucun-  
 dis lectissimisque troporum luminibus,  
 ceu gemmulis & flosculis quibusdam  
 depingendi atque distingvendi, unde  
 Marc. Tullius lib. 2. de Orat: præclare  
 invenire & aperte disponere prudentis  
 quidem esse hominis: orationem vero  
 insuper varie figurare, & prudentis &  
 docti viri esse affirmabat. Et denique  
 ratio nos nihil juvaret, si, deficienti-  
 bus non raro verbis propriis, figuratâ  
 oratione, ceu animi caractere, sensû  
 non possemus exprimere, neque fi-  
 dem faceret quisquam auditoribus si  
 obscura, sordidis plena vocabulis sen-  
 tentiarumque quasi involuta ænigma-  
 tibus eorum animis objicerentur, ser-  
 mo autem hoc troporum tinctus succo  
 auditorem attentum pariter ac bene-  
 volum reddit; tralatitia quippe locu-  
 tione multo magis excitantur animi,  
 quam simplici, resque veræ plus ha-  
 bent admirationis, si ingniosè selectis  
 verbis, tanquam gemmæ auro inclu-  
 dan-

dantur, quod & optime observasse videtur sui ævi in Eloquentia neminẽ secundus Demosthenes, dum ceu violati fœderis adinstar tranquillitatisque publicæ everfor à Macedonia Rege Philippo, ad promeritam subeundam pœnam efflagitatus figurata oratione Atheniensibus persuasit, ut postulata avarissimi Regis, inhiantis opibus ipsorum flocci facerent, seque libertatis publicæ assertorem tuerentur.

#### §. VI.

Proinde, sicuti vestimenta primitus adhibita sunt, non tantum ad nuditatem nostram celandam, sed & contra aëris injurias tutandum corpus nostrum, variis semper expositum periculis, postea etiam ornatus & decoris causa usurpantur; ita quoque tralatitium hunc loquendi modum primum genuit necessitas, deinceps visa atque eognita multiplici ejus utilitate, magis eum fecere omnium seculorum homi-

homines, cum tanta utilitas ex nobili hoc dicendi genere profluat, ut vix ulla actio, sive publica sit, sive privata, eodem carere possit. Hunc tanta in veneratione, tantisque deliciis olim habuere Athenienses, veteresque Romani, non illi tantummodo, quibus fors & natalis decor ad altiora evehi denegaverat, verum & imperatores, Reges, atque Principes, ut peregrinationes gravissimis conjunctas molestiis nocturnosque labores, & lucubrationes adire minime recusarint. Licet enim Romani in ipsa quasi Eloquentiæ schola nati, inter continua declamationum exercitia educarentur, adeo ut videatur supervacaneum ipsis fuisse, aquam ( ut ajunt ) trans mare adlatum proficisci, & multas exantlare molestias ad acquirendam dicendi facultatem, recte tamen arbitrati sunt non esse vim aliquam persuadendi sitam in solo inconcinnorum verborum strepitu, futilique loquacitate, quam

æqui rerum censores inconsultam garru-  
 lamque ignorantiaë sororem, non inique  
 appellitarunt, sed in ea ipsa facultate,  
 qua, mortalium animis, auribusque  
 nihil jucundius percipi potest. Præcla-  
 ra quidem res est loqvela, qua ho-  
 mines, ut ut inferioris sortis, bru-  
 tis præstant, præclarius tamen is a-  
 deptus est, qui, quâ re homines be-  
 stis præstant, ea in re hominibus  
 ipsis antecellit, unde & ii qui huic stu-  
 dio sese sacrarunt, tantum aliis excel-  
 lentiores crediti sunt, quantum ipsa  
 sydera claritate alia aliis sunt priora.  
 Exemplo sit Romanæ facundiaë pa-  
 rens Cicero, qui ut omni eruditio-  
 ne & dicendi genere exercitissimus,  
 ita omni adparatu lautitiisque E-  
 loquentiaë copiosissimus existimatus  
 consulatum non vulgari cum laude  
 gessit, adeo ut quævis Reipublicæ  
 conducibilia, populo Romano, præ-  
 primis linguaë suffultus peritia, per-  
 valerit, imo non raro plus hæce  
 sua

sua arte effecerit, quam viribus aliis  
 athleticis, quod tamen fieri vix ac  
 ne vix quidem potuisset, nisi tra-  
 latitios loquendi modos, ceu validis-  
 simos ad flectendum & expugnandum  
 vulgi mentem arietes adhibuisset.  
 Hi, ut paucis multa complectar, u-  
 tramque ad persuadendum paginam  
 faciunt; nam cum mens ex impro-  
 vilo quasi, & præter expectationem  
 instituit collationem cum re simili,  
 causasve transfert, concinnitas admi-  
 rationem primo, deinceps persuasi-  
 onem parit; eaque dicta in materia  
 hilari, joci five sales Mercurii di-  
 cuntur, aculei vero, acerbè aliquid  
 taxantes, Momii sales vocantur, eo  
 quod Momus, Somno patre, matre-  
 que Nocte natus, ipse in otio, ope-  
 rum aliorum curiosus spectator,  
 adeoque suggillando, obtrectando  
 & cavillando omnibus invisus, ac mo-  
 lestus fuisse dicatur. Mercurii sal-  
 ler-

sermoni aspersus multum excitat gratiæ voluptatisque unde etiam candidus dicitur, orationisque condimentum. Alterum atrum salem, virulentiamque in censendis aliorum dictis & factis Momo relinquunt prudentes cum voto, tamdiu proprio se fructu maceret, donec vel ipse pro otio laborem eligat & negotium; vel aliis non invideat quod ipse toto pectore fastidit: sed manum de tabula.

## SOLI DEO GLORIA.

VIRO

VIRO JUVENI

*Indefessâ Musarum morumque culturâ  
Commendatissimo*

DN. JOHANNI SALMENIO

Amico æstimatorissimo,

Dum egregiam

DE DICTIONIS TRALATITIE USU

Dissertationem proprio Marte conscri-  
ptam è Cathedra Academica so-  
lenter defenderet.

**T***emporibus priscis facundi carmine vates,  
Pinxere apposito Mæonidas calamo;  
Pallada narrantes Dictæi vertice cre-  
tam*

*Numinis, atque Polo progenitam So-  
phiam.*

*Scilicet à cælo missa est sapientia Diva,  
Omnia solerti mente gerenda regens:*

*Mordacis lingue cauta hæc, convicia ridet:*

*Despicit & quicquid fors onerosa tonat:*

*Victrix, fortune flatus moderatur amicos,*

*Prudens, accumulans præmia larga sibi.*

B

*Felix*

Felix Aoniis qvi Te iunxisti sodalem;  
SALMENI assidue Desideram fugiens,  
Et iuvenile ævum, qvo nil velocius unquam,  
Musis sacraſti Pieridumque Choro,  
Ceu ſpecimen præſens inſigne heic dogma Tro-  
porum,  
Pandens, baud falſo Te probat eſſe virum,  
Maſte igitur durum Decoris conſcendere cli-  
vum,  
Murmura qvi Boreæ deſpicit & Zephyros:  
Maſte operi incumbens cœptam pertexere te-  
lam,  
Inclytus ut clueas Theſſiadumque Decus.

Tenui licet crenâ ad-  
plauſit

DANIEL STECKSENIUS,  
Weſt: Both: Suecus,

